



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica sexta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

III.

Rectè dicitur : Homo homini lupus. Nulla scævior homini bellua, quàm ipse homo sibi, si vixerit secundùm sensus, & carnem. Si pereat, ex se perit : Nam stygius draco non deglutit nisi volentem. O damnatam voluntatem, si peccatum sapiat!

Instructio meritoria.

Inimico debetur odium, bruto flagellum : Et quid corpori nostro ? genus vitæ durissimum. Hodie humiliemus unò, vel altero actu abstinentiæ, ut desinat grunnire addamus & 15. *Pater ac Ave* expansis brachiis.

Dominica VI. post Epiphan.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quanta mysteria in hodierno Evangelio ! præcipuum verò in verbis : *Minimum quidem est omnibus seminibus ; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus.* O fili ! sensus verborum est : à minimis incipiunt, qui
in

in maxima prouunt. *Nemo repente fit summus.* S. Bern.

Instructio meritoria.

Cura minimorum, quia nobis maximè necessaria, ut impetretur à Deo, per 7. dies quotidie unum ex psalmis poenitentialibus recitemus. O si cresceret horror! quantum & arderet coelestium amor!

II.

Vis ædificium provehere in altum Regni æterni? à minimo, & imo fundamento incipe humilitatis. Non enim exaltabitur, nisi qui se humiliaverit. Mundus odit superbos: Et Deus portet?

Instructio meritoria.

Tota vita Jesu quid fuit nisi humilitas? simus imitatores, & 34. *Pater & Ave* inclinatio capite, & oculis clausis recitemus cum totidem osculis terræ. Videt Deus! sufficit.

III.

Principiis obsta: serò medicina paratur. *Minimum est! cum creve-*

rit, majus est. Cogitatio prava (teste S. Bern.) parit delectationem, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. O periculosam negligentiam in rejiciendis cogitationibus primis! sapiemus utique? fili! sed quomodo?

Instructio meritoria.

En! medium suggero. Adest tentator! arripiamus citò Crucifixum! vel confugiamus ad Ecclesiam, flexisque genibus psalmum intonemus ex Completorio: *Qui habitat in Adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur, & 33.* exosculabimur Jesum. Crucifixi oscula sunt arma, quibus pellitur hostis.

Dominica Septuagesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

PROcul ò fili! cum pigritia! en! primò manè jam exiit Jesus conducere operarios in vineam suam. Ergò & nobis non sit vanum, manè surgere
ante